



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico  
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**


5. Parva Regum Galliæ ex Regalijs emolumenta; maxima ipsorum, &  
Ecclesiarum damna: Ludovici VII. & IX. egregia in hanc rem exempla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Principi provenire, multum tamen periculi, multumque damni, tantumque amplius, quanto illa magis dilatatur; ut prudenter à Marca Archiepiscopo Parisiensi dictum sit: *Tanti non esse Præbendarum istellarum Collationem, ut ejus etiam in loca, in quibus à Christo nato nunquam exercita est, proferendæ studio, antiquas Regni leges, Conciliorumque Decreta subverti necesse sit.*

Qua in res sunt etiam æternæ memoriae digna Ludovici VII. & IX. Regum Galliæ exempla. Cùm enim huic instituendi Pa-  
stores à Pontifice potestas facta fuisset, ad idque Legatus Româ rediens Diploma protulisset: *Quod mea, inquit, negotia Romæ strenue objeris, laudo: quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: intelligo enim, quanto cum periculo anima mea, & Regni id susciperem: ac protinus in ignem Diploma projectit. De codem beato Rege narratur, no-*  
*luis Collationibus Sacerdotiorum se immiscere: Sat mibi est, in-*  
*quietabat, coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus, ratio-*  
nem reddere. De Ludovico VII. hæc habet Thomas Walfinghanus:  
*Reversus Ludovicus junior de Hierosolymitana contra Saracenos expeditione, cum*  
*quidam Clericus Româ papale privilegium attulisset, quo in omni Ecclesia cathe-*  
*drali sui Regni, jus conferendi primam vacaturam cum cunctis fructibus medio*  
*tempore provenientibus, continebatur, confessum conclusit litteras, dicens: Malo*  
*illas hic comburere, quam si proper illas in inferno comburerer. Hæc Regum*  
*Galliæ olim exempla, vocesque fuerunt, à quibus quām aliena sint*  
*sensa, quæ regnanti Ludovico inspirare aliqui conantur, nemo*  
*non videt. Rationes verò quibus id agunt, tam sunt exiles, va-*  
*næque, ut mirum sit, ijs ipsis, qui eas producunt, pudori non esse:*  
*enim verò cupiditas aulam demerendi, suprà pudorem & verita-*  
*tem fuit, id postea videbimus; nunc in D. Thoma Cantuariensi,*  
*ideam, exemplarque Ecclesiastice libertatis proponemus, in quo*  
*constantiam, fortitudinem, candorēmque animi videre, & imitari*  
*liceat, aliasque virtutes sacerdote dignas, omni quidem adulatio-*  
*ne, & furo liberas; reverentiae tamen in Reges suos, amorisque*  
*plenas; & ex quibus intelligas, quid Episcopi Deo, quid Principi*  
*debeant, tantoque aptius præsenti causæ hæc digressio conveniet,*  
*quod D. Thomæ pugnandi, vincendique argumentum Regalia*  
*fuit, hæc Martyrem fecit; ut mirari non debeas, si eam causam*  
*nos calamo, & atramento tuemur, quas ille tormentis, & sanguine;*

ne; hæc sunt præmia, & sigilla veritatis: nec alio discriminè verum à falso Pastore distinguis, quām quod iste fugā, ille pugnā probatur: Mercenarius, inquit Christus, & qui non est Pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves. In quem locum eleganter S. Gregorius: Mercenarius quidem est, qui locum quidem Pastoris tenet, sed lucra animarum non querit, terrenis honoribus imbiat, temporalibus lucris pacit, impensâ sibi honoris reverentia letatur. Hic videt lupum venientem, quia tranquillitatē tempore plerūque ad gregis custodiā sicut verus Pastor, ita etiam Mercenarius flare videtur, sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregi custodiā stebat. Lupus enim super oves venit, cum quilibet injustus, & raptor fideles quosque, atque humiles opprimit; sed is, qui Pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oves, & fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus iniustitiæ non præsumit, fugit verò non mutando locum, sed subtrahendo solatium: fugit, quia iniustitiam videt, & tacuit: fugit, quia se sub silentio abscondit, quibus bene per Prophetam dicitur: Non ascenditis ex adverso, nec opposistis murum pro domo Iherusalem, ut staretis in prælio in die Domini. (a)



### § III.

Certamen contra Regaliam à S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo suscepsum, aliisque in simili causa laborantibus propositum.

#### SUMM ARIA.

1. Regibus suis & reverentiam, & libertatem Pastores debent.
2. S. Thomas Archiepiscopus Regalie abusus impugnat, & hec ei necis causa: ejus in aula mores: electio in Archiepiscopum, & Sanctitas.
3. Regem offendit, & quas ob causas?
4. Sub-

(a) Ezech. 13.